

obtinuero favorem, Felix si mihi concedas videre Tuas Tournefortianasque collectiones plantarum. Felix si per te profectus quosdam facere possim in studio, cujus insatiabili inflammatus sum desiderio. Suam mihi concessere gratiam quotquot adivi antea Botanicos, nec Te his difficiliorem fore spero, sed longe benigniorem persuasus iter ingredior.

Lætus dudum cognovi Fratris Tui, junioris natu, vigorem et profectus in ultimo Peru, de ejus successu ad innumera detegenda rara nuper exempla et documenta vidi apud amic: D. v. Royen ubi tot semina plantarum rariorum præsertim Plumerianarum, quot nunquam vidi antea.

Nova nulla referam, reservabo in tempus quo coram loqui licet. Litteria hic nulla ullius momenti. D. Jac. Sherardii obitus forte innotuit, qui nullum legatum D^o Dillenio fecit, quod miror maxime. D. Amman edit plantas rariores Siberiæ et Tartariæ, nec non (sed in Actis Petropolit.) Tr. de filicibus, quarum species duplicia folia gerunt, alia sterilia alia fructifera. Siegesbeckii Botanosophia verior nuper edita sat stulta et mendax est; uti omnia Ejus. Vateri Hortus Wittenbergensis nuper editus nec non Ludwiggii canones Botanici non visi sunt etiamnum a me.

Halleri ambæ Dissertationes de Veronicis alpinis et Pedicularibus pro more Viri doctissime conscriptæ et elaboratæ sunt. Breynius edat patris sui plantas nomine modo recensitas in fasciculis, cum descriptionibus et figuris ac vita auctoris.

Gronovius propediem edat Floram Virginensem, Burmannus vero plantas rariores Africæ per decurias, tabulas pro prima centuria incisas vidi. Post occiduum* Lugduni prodibunt meæ Classes plantarum, ubi exposui omnes methodos a fructificatione desumptas uti Cæsalpini, Morisoni, Raii, Knauti patris, Hermannii, Boerhaavii, dein Rivini, Ruppilii, Ludwiggii, Knauti, tum Tournefortii, Pontederæ, demum Magnoli, novamque aliam e calice, tandem sexualem et methodi naturalis fragmenta, ultimo partiales uti Vaillantii et Pontederæ in *Compositis*; Morisoni et Artedi in *Umbellatis*; Raj et Scheuchzeri de *Graminibus*, Dillenii et Michellii de Muscis et Fungis, &c., addito synonymo generico.

Prodiit et *Artedi Ichthyologia*, ubi prima in parte Bibliotheca ichthyologica. 2^o *Philosophia Ichthyologica*. 3^o *Genera, eorum Characteres et species cum Suis differentiis*. 4^o *Pinax omnium nominum, uti Bauhini in Botanicis, hic in ichthyologicis*. 5^{to} *Descriptiones*. Omnes qui videre hoc opus fassi sunt quod in ista parte non visum fuerit. Vita authoris et editio cum variis aliis a me descripta et peracta sunt.

Vale, Vir illustris et fave peregrino.

Dabam die 28 Mart. 1738. Amstelædami.

* Eadem revera die, vigesimâ scilicet Martii 1738, signata est præfatio operis: *Classes Plantarum, seu Systemata Plantarum omnia a Fructificatione desumpta. Fundamentorum Botanicorum Pars II.* Lugduni Batavorum. 1738.